
A. LAURENTIUS

De gratuita Justificatione Hominis coram Deo.

Hafniæ 1582.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

3,-181.

LN 1046
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

3,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

THESES
DE GRATVITA IVSTIFICATIONE HOMINIS CORAM DEO, IN DISPVtationem ad 28. Nouemb: Anni 1582. ab Andrea Laurentio propoſitæ: Reſpondente Iacobo Trelburgio.

HAFNIÆ

Ex Officina Typographica Guieruuitziana, Anno 1582.

865

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

3,

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

THESES DE IVSTIFICATIO- ne hominis coram Deo.

DOctrinam de gratuita IVSTIFICATIONE hominis coram Deo, quæ totius Euangelij ſummam continet, repetituri: quatuor capita, Deo conatum noſtrum iuuante, ordine pertractabimus.

2. Quorum primum erit, vocabulorum iuſtificandi & iuſticiæ declaratio: Alterum Iuſtificationis definitio cum ſua analyſi: Tertium de fidei & noſtræ cum Deo reconciliationis teſtimonio infallibili erit: Quartum veræ ſententiæ antitheſin continebit.

I.

3. Iuſtificandi verbum primum, ſignificat alios iuſticiam docere. Dani: capite 12. Deinde iuſtum, fidelem & miſericordem præſtare. Lucæ 7: Tertio, iuſta pœna ſontem afficere; Rom: 6. Quarto, iuſtificatum declarare. Iacobi 2: Quinto reum in iudicio abſoluere. Prouerb: 17. Quæ ſignificatio Paulinæ diſputationi congruit; ſed ita vt diſcrimen ſit inter abſolutionem, qua iniuſtus ab impio iudice abſoluitur, & illam, qua Deus iuſtiſsimus impios iuſtos pronunciat.

4. Vt iuſtificandi verbum, ita quoq; iuſticiæ vocabulum πολύσημον eſt. Primum enim pro iuſticia vniuerſali vſurpatur. Pſal: 119. Feci iuſticiam: Secundo pro iuſticia particulari, quæ aliàs iuſticia bonæ cauſæ vocatur. Pſal: 7. Iudica me ſecundum iuſticiam meam. Tertio pro beneficentia & eleemoſyna Deuter: 24. Matth: 6. Quarto pro integra imaginis Dei in nobis inſtauratione, atq; cum Deo conformitate. Gal. 5. Nos ſpiritu

A 2 ex fide

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

ex fide ſpem iuſticiæ expectamus. Quinto pro vitæ ſanctæ & iuſtæ præmijs. Pſal: 112. Hæc hactenus de ſignificatis verbi iuſtificare, & nominis iuſticiæ declaratione, dicta ſunto.

II.

5. *Iuſtificatio eſt hominis in Chriſtum credentis per Chriſti ſatisfactionem à peccato abſolutio, eiusq́ iuſticiæ imputatio, & ad æternam vitam* GRATIS *propter Chriſtum donandam acceptatio.*

6. *Hæc definitio, vt tantum myſterium, de quo mens hominis ſine reuelatione diuina ne ſuſpicari quidem potuit: aliquanto melius intelligi queat, in partes quibus conſtat, retexenda erit.*

7. *Prima itaq; pars eſt abſolutio hominis credentis à peccato. in qua tria diligenter ſunt obſeruanda: quidnam abſoluendi voce ſignificetur: qualis ſit perſona quæ abſoluitur, & quæ pro hominum peccatis ſit facta compenſatio.*

8. *In abſoluendi voce, eſt metaphora à forenſi vſu & conſuetudine ſumpta. Ea enim eſt vis & ſignificatio verbi Iuſtificandi, quemadmodum iam à nobis dictum eſt.*

9. *Vt enim Iudex in iudicio reum à crimine, cuius accuſatur, abſolutum, iuſtum pronunciat: ita Deus homines immenſa bonitate iuſtos facit ac pronunciat.*

10. *Sed qualis nam eſt eius hominis qui abſoluitur ſtatus & conditio? eſt peccator & fidelis ſeu credens. Peccati nomine Synecdochice triſtiſſima mala, nempe ira Dei, legis maledictio, tyrannis Diaboli, & id genus alia, intelliguntur.*

11. *Fides vero eſt opus ſpiritus ſancti in nobis, quæ non ſolum eſt noticia Dei & doctrinæ cæleſtis: ſed etiam fiducia, qua*

in Dei

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

in Dei gratuita miſericordia acquieſcimus, Deumq́ patrem propter Chriſtum nobis placatum eſſe, conſtanter ſtatuimus.

12. *Chriſtus verus Deus & verus homo pro nobis ſolus æterno patri debitum noſtrum ſatisfecit: hoc eſt liberauit nos à peccatorum noſtrorum obligatione. Similitudo enim ſumpta eſt à creditoribus, quibus debitores, numerata pecunia, ſatisfaciunt.*

13. *Mors Chriſti* λύτρον *eſt illud, quo liberati & redempti ſumus. 1. Iohan: 1. Sanguis eius purgat nos ab ommi peccato, hoc eſt, mors Chriſti, quæ cum præcioſiſſimi ſanguinis effuſione necnon ſummis animi & corporis cruciatibus coniuncta fuit.*

14. *Altera pars propoſitæ definitionis, eſt iuſticiæ Chriſti imputatio, quæ Dei illud beneficium eſt, quo is filij iuſticiam & omnibus numeris perfectiſſimam legis præſtationem, noſtram eſſe ducit, noſq́ peccatores pro iuſtis habet: ita vt noſtra peccata minimè in rationes veniant. Id enim propriè ſignificat Hebraicum verbum quo Moſes libro 1. capite 15. & Dauid Pſalmo 32. quod 70. interpretes* λογίζεσθαι *reddiderunt; quorum etiam teſtimonijs Paulus doctrinam de gratuita iuſticiæ Chriſti imputatione confirmat, vſi ſunt.*

15. *Tertia, eſt acceptatio noſtri, quæ manat ex ſuperioribus Chriſti beneficijs, & in patris dilectione, qua nos propter Chriſtum complectitur, fundata eſt. Efficit enim nos ſibi gratos in illo dilecto. Eph. cap. 1.*

16. *Quarta eſt GRATIS particula, qua excluſis à cauſis ſalutis noſtræ, omnibus omnium hominum (Chriſto vno excepto) meritis, & propria dignitate: Redemptionis noſtræ beneficium vni filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto in ſolidum tribuitur.*

17. Atq; id eſt,quod Eccleſiarum noſtrarum pij & fideles doctores volunt, qui ſacræ ſcripturæ conſentienter, homines ſola in Chriſtum fide iuſtificari, aſſerunt.

18. Nam idem prorſus declarant aliæ particulæ & phraſes, quibus Paulus in hac diſputatione vtitur: vt ſunt gratis: abſq; operibus: abſq; lege: Rom: 3. & gratia ſaluari Eph: cap. 2. nec noſtri præceptores ita primi loquuti ſunt: ſed id ipſum multo ante fecerunt Chryſoſtomus, Ambroſius & alij.

19. Hactenus itaq; verum eſt,nos ſola fide iuſtificari,quatenus illa Chriſtum fidei datorem & in quo efficax eſt, reſpicit, eumq; apprehendit. Eſt enim fides virtus apprehenſiua, quemadmodum veteres loquuti ſunt.

20. Quinta pars,eſt de meta illa,ad quam contendimus, hoc eſt vitæ æternæ poſſeſſione in qua erit amiſſæ imaginis Dei in nobis plena,vel potius longe perfectior & illuſtrior, quam illa prior fuit, inſtauratio. Hæc eſt ſumma doctrinæ Paulinæ de Iuſtificatione Hominis, quæ vt firmius animis noſtris imprimatur; ea quæ diximus veluti anacephalæoſi quadam, explicatis cauſis ipſis, breuiter repetemus.

21. Efficiens itaq; cauſa noſtræ iuſtificationis,eſt ipſe Deus, Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum. Rom: 8. Deus eſt qui iuſtificat;item prædicatio Euangelij. Rom: 10. Quomodo audient abſq; prædicante.

22. Impulſiua, meritoria cauſa, materia & forma, eſt ipſa Chriſti obedientia. Impulſiua quidem reſpectu Dei Patris, nam ea motus Deus pater nos iuſtificat: Meritoria Chriſti reſpectu, Rom. 10. Chriſtus eſt finis legis in iuſticiam omni credenti: Ma-

teria

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

teria, rei, qua iuſti ſumus, reſpectu: forma deniq; noſtri reſpectu: quia Chriſti obedientia nobis imputata, iuſti ſumus.

23. Inſtrumentum, eſt fides ipſa apprehendens Dei miſericordiam propter Chriſtum. Gen: 15. Credidit Abraham Deo, qui imputauit ei illud ad iuſticiam. Iohan: 3. Qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.

24. Fines ſunt, declaratio benignitatis Dei, Rom: 3. ad declarandam iuſticiam ſuam: vitæ ſanctitas & vita æterna. Eph: 1. vt ſimus inculpati coram ipſo per charitatem.

25. Effecta in iuſtificatis per fidem ſunt, conſcientiæ tranquillitas, Rom: 5. Liberatio à maledictione legis, Gal. 4. Emiſit Deus filium ſuum vt eos qui legi erant obnoxij, redimeret. atq; hæc hactenus de cauſis & effectis.

III.

26. Rationem eſſe aliquam, qua ſciri poßit, an fidem habeamus & ſimus cum Deo reconciliati nec ne, diſertè docet Paulus 1. ad Cor: cap: 11. Probet quiſq; ſeipſum & 2. ad Corinth: 13. vos ipſos tentate an non ſitis in fide.

27. Quæ ergo eſt illa ratio? ex Chriſti, à nobis per fidem apprehenſi & intra nos habitantis effectis optimè intelligi poteſt, id eſt, ex ſanctificatione noſtri quæ cum opponitur materiali peccati vel ipſi vicio, eſt ſegregatio hominis à mundi prophanitate per carnis mortificationem, & coniunctio eiuſdem per viuificationem ſpiritus. Coloſſ: 3. Ne mentimini alius aduerſus alium, quum exueritis veterem illum hominem cum factis ſuis & indueritis nouum illum, &c.

28. Etſi autem Iuſtificatio & Sanctificatio perpetuo nexu & indiſſolubili vinculo iunctæ ſint: tamen eas diſcerni, ne infi-

nita

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

nita opinionum confuſio fiat, neceſſe eſt. Paulus enim Rom: 5. 1. ad Cor: 1. eas diſtinctas eſſe docet. Chriſtus factus eſt nobis à Deo, ſapientia, iuſticiaq́, & ſanctificatio.

29. Ac poteſt triplex earum diſcrimen ſtatui. 1. quod illa in momento perfecte fiat. Matthei 9. confide fili remittuntur tibi peccata. Lucæ 7. Fides tua ſaluum te fecit: hæc vero paulatim vna cum fide incrementa ſumit, in hac quidem vita inchoanda, in altera vero perficienda. 2. Cor: 4. Inferior homo renouatur de die in diem. 2. Iuſticia Chriſti nobis imputata extra nos eſt. 2. Cor: 5. Eum qui non nouit peccatum fecit peccatum: Sanctificationis vero gratia, eſt qualitas in nobis hærens. 3. Propter Chriſti iuſticiam habemus placatum patrem: Ob virtutes vero placemus quidem Deo: ſed ijs minime nobis placatum reddimus. Paulus enim Epheſ: 2. nos gratia ſaluari non dono per gratiam, aſſerit.

30. Hæc itaq́ ſanctificatio ſeu vitæ nouitas, eſt ſalutis noſtræ per Chriſtum acceptæ certum teſtimonium. 2. Pet. 1. Quapropter fratres magis ſtudete vocationem & electionem firmam facere, & Paulus optat Philippenſibus, vt magis abundent in omni cognitione & omni ſenſu, vt probent quæ ſunt præſtantiora.

31: Quisquis igitur ſentit in corde pios motus ortos à ſpiritu Dei, qui reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, nos eſſe filios Dei. Rom. 8: & fructus illos fidei, qui Pſal. 15. Galat: 6. & aliàs ſæpe commemorantur, edit, ſeu qui retinet fidem & bonam conſcientiam 1. ad Timoth: cap: 1. vel in luce ambulat: 1. Iohan: cap. 1: Is ſciat certo ſeſe propter Chriſtum eſſe Dei filium. Nam fides & conſcientiæ vaſtatio ſimul eſſe non poſſunt. Rom: 8.

32. Etſi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

32. *Etſi vero hæreant in iuſtificatis peccati reliquiæ, ſitq; ingens ſpiritus & carnis certamen. Rom: 7. & Gal: 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: tamen placent Deo & retinent incolam ſpiritum, quamdiu peccatis magis ac magis obſiſtunt. 1. Ioh: 5. Is qui natus eſt ex Deo, non peccat.*

33. *Huc accedit perpetua reſipiſcentia, & ardens Dei inuocatio, à Spiritu Dei, quem Zach: cap: 12. vocat ſpiritum gratiæ, quod nos teſtetur cum Deo reconciliatos, orta, quæ certum quoq; iuſtificationis noſtræ teſtimonium eſt. Rom: cap: 10. Quisquis enim inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.*

IV.

34. *Errores cum fundamento pugnantes cognoſcendi ſunt, non ſolum vt veritas ipſa (quod antitheſes præſtant) magis illuſtretur: Sed etiam vt petamus nos regi ſpiritu ſancto, ne amplectendo impia dogmata, auulſi à Deo æternum pereamus. quod multis præſtantibus hominibus eueniſſe, omnium temporum hiſtoriæ teſtes ſunt. Inſignes itaq; aliquot errores, vt aliorum periculis moniti nobis mature caueamus, recenſebimus.*

35. *Primus, eſt Ethnicorum & hypocritarum, qui finxerunt mactatione pecudum & alijs ſacrificijs iram Dei placari, quum vnicum ſit ſacrificium hilaſticon, obedientia videlicet filij Dei. Heb: 9. & 10.*

36. *Secundus, eſt Zelotarum, qui vel ex lege iuſticiam quærunt. Rom: 10. vel cum fide legalem cultum eſſe coniungendum, contendunt. de quibus Act: 15. & Epiſtolis ad Romanos & Galathas ſcriptis.*

37. *Tertius, eſt Pelagianorum, qui homines etiam poſt peccatum liberum arbitrium habere, cuius vi, ſine gratia Dei, legi*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

Dei ſatisfacere queant, aſſerunt. quum Paulus doceat nos in peccatis mortuos eſſe. Eph: 2.

38. Quartus, eſt Monachorum, qui docent homines ſine gratia Dei poſſe ex congruo quædam opera facere, quibus Deus mercedem debeat, & poſtea addunt homines ex condigno, adſiſtente gratia Dei, legem implere, eiusq; operibus vitam æternam mereri poſſe.

39. Quintus, eſt Enthuſiaſtarum, qui rationis diſciplina reiecta, afflatus & raptus diuinos (vt hoc tempore Anabaptiſtæ) iactitant. quibus afflatibus & nouitate ſua ſe iuſtos eſſe exiſtimant. quam corruptelam Paulus Coloſſ: 2. vocat hominum traditionem.

40. Sextus, eſt Origeniſtarum, qui ceremonialibus legibus iuſticiam detrahentes, moralis legis operibus nos iuſtificari aſſerunt. quod falſum eſſe, manifeſtè oſtendit ſeries Paulinæ diſputationis in nobili illa Epiſtola ad Rom: ſcripta.

41. Septimus, eſt Catharorum, qui lapſis peccatorum remiſſionem denegant: quos apertè refutat Chriſti Euangelium, & nominatim Matth: 18. Remittes ſeptuagies ſepties.

42. Octauus, eſt Libertinorum, qui docent iuſtificatis quiduis licere, quorum impium dogma refutat Paulus Rom: 8. Qui ſpiritu aguntur hi ſunt filij Dei, & nota eſt vox Chriſti, Matth: 12: Bona arbor facit bonum fructum.

43. Nonus, eſt Ethicoproſcoptarum, qui Libertinis ſimiles, omnem vitæ ſanctæ inſtituendæ rationem ſpernebant & irridebant: cuiuſmodi Cynici & Epicurei vtinam hac noſtra ætate nulli eſſent.

44. Decimus, eſt eorum, qui dicunt homines fide quidem accipere

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

cipere remiſsionem peccatorum, nec ea tamen iuſtos eſſe: ſed eſſentiali iuſticia Dei. quod dogma quum Pauli ſententiæ de Iuſtificatione repugnet, merito reijciendum eſt.

45. *Vndecimus, eſt Ebioneorum & Iudæorum, qui (vt hodie Pontificij) negarunt homines ſola fide iuſtificari, quum Paulus diſerte ad Romanos 3: dicat nos gratis, per redemptionem factam in Ieſu Chriſto, iuſtificari.*

46. *Duodecimus, eſt Ieſuitarum, qui affirmant Chriſtum tantum fuiſſe Mediatorem paſsionis tempore, ac ideo quærendos eſſe alios Mediatores & interceſſores, contra illud Pauli Rom: 8. Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

47. *Decimustertius, eſt Synecdoche pontificiorum, qui affirmant nos fide iuſtificari, id eſt, præparari ad iuſtificationem: ſed alia tamen re, vt dilectione & nouitate vitæ iuſtos eſſe. quam Synecdochen refutant plurima ſcripturæ teſtimonia. Ioh: 3. Qui credit in filium, habet vitam æternam. 1. Cor: 1. Factus eſt nobis à Deo iuſticia.*

48. *Decimusquartus, eſt eorundem, qui negant homines de gratia Dei certos eſſe poſſe: atq; ideo dubitandum placeantne vel diſpliceant Deo. quo quidem dogmate prorſus delentur omnia illa quæ ſcriptura habet de πληροφορία & firma fiducia acquieſcente in promiſsionibus Dei.*

49. *Decimusquintus, eſt Scholaſticorum, qui condonatis quidem peccatorum culpa, & pænis æternis, temporarias retineri; quæ vel humanis ſatisfactionibus in hac vita, vel in purgatorio poſt mortem, perſoluendæ ſint, docent.*

50. *Diximus hactenus de polyſemia vocabulorum iuſtifi-*

 candi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

candi & iuſticiæ: de iuſtificatione hominis coram Deo: de fidei noſtræ teſtimonio atq; indicio, & veræ ſententiæ antitheſi. Deum æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti oramus, vt lucem doctrinæ cœleſtis, in poſtrema ætate mundi accenſam, benigne ſeruet, ac tueatur, Eccleſiæq; ſuæ triſtiſsimis vulneribus medicinam faciat.

Quæſtiones.

I. An iuſticia legis & fidei reipſa vna eademq; ſit, quum Leuitici 19. ſcriptum ſit. Homo qui fecerit ea, viuet per ea. Et Chriſtus Matth: 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata Dei: an diuerſæ ſint quum Paulus vnam alteri opponat. Rom: 10. & Philip: 3.

II. An remiſsione peccatorum & imputatione iuſticiæ Chriſti in altera quoq; vita, in qua miniſterium Euangelij ceſſabit, iuſti ſimus futuri: vel alio modo & ratione iuſtificemur.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

dei
De-
lu-
be-
bus

um
ea.
an-
nat.

bri-
bit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1046 4°